

Nr. 24.

62

PRORECTOR

ALMAE FRIDERICIANAE

NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, IC.

POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE

CONSILIARIVS INTIMVS, IVRIVM, ATQVE ELOQV.

PROFESSOR ORDINARIVS,

VNA CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS,

AD

FESTVM

NATIVITATIS CHRISTI

M DCC XIX.

Digne concelebrandum

CIVES ACADEMICOS

invitat & exhortatur.

HALAE MAGDEB.

TYPIS IOANNIS MONTAGII, ACAD. TYPOG.



I. N. 3.

Hristianus non meretur appellari, qui non
insigni ex natalitia Christi Festivitate dul-
cedine adficitur. Quis enim, nisi Salu-
tis suæ incurius, Salvatorem sibi datum
recogitabit sine gaudio? Quis nisi cœ-
lestium Bonorum, quæ Ille attulit, con-
temtor, renovatam Angelicæ Annunciationis memoriam
percipiat absque desiderio? Mysterium est omnium con-
fessione magnum, Deum esse revelatum in carne, atque ita
venerationem exposcit & admirationem, quam mens hu-
mana capere potest, maximam. Ast noluit Deus nobis esse
tantum admirabilis & venerabilis, sed largitorem simul the-
sauri incomparabilis & plane ineffabilis clementissimum
se nobis præbere voluit. Patrem se nobis declaravit aman-
tissimum, dum suos nos in Filio unigenito constituit hæ-
redes, sola fidei conditione ad tantæ felicitatis consegu-
tionem proposita. Hæredes nos DEI esse nullo modo
possumus, nisi CHRISTUS suos nos faciat cohæredes;
CHRISTI fieri cohæredes nequimus, nisi adoptet nos
DEUS per Filium suum; adoptare nos DEUS nec vult
nec

nec potest, nisi à Filio unigenito in carne nostra assumta nobis promeritam peccatorum veniam, Spiritusque divini gratiam fide haut facta nobis adplicemus, & ad filialis obsequii continuum studium adhibeamus. Enimvero quid prodest, hæc omnia per immensam DEI misericoreiam & bonitatem, facta & oblata esse, si homines hæc tanta beneficia acceptare, & fide viva apprehendere detrectant, aut saltem pigrantur. Imo quid scire, quid cogitare, quid cantare & musico strepitu celebrare, quid verborum denique ampullis prædicare talia iuvat, si frigida sint & mortua intus in pectori omnia, desitque affectus spirituali gaudio exultabundus, tanquam genuinus veræ fidei testis & nuncius? Quamobrem quodquot Mortalium hoc tempore lætari & gratam Deo mentem testari aut nesciunt aut nolunt, isti inani Christiani nominis appellatiōne superbire desinant. Res Christianum efficit, non titulus; fidem requirit DEUS, eamque spiritualis fructus feracem, non fictam devotionis speciem aut hypocriticam cultus externi larvam.

Optandum, ut ii tandem, qui Christum appellant Dominum, amore eum sincero excipere & obsequio debito honorare discant, postquam omnes fere Orbis habitabilis partes tam crassā occupavit Salvatoris à Deo dati aut ignoratio, aut impugnatio, aut saltem contemptus.

Quod si enim ad orientis solis plagas nostras convertamus oculos, vastissima illa Imperia & Regna, quæ ab extremitatibus septentrionis regionibus ad Oceani usque Insulas latissimè expanduntur, superstitionibus partim serviunt & voluptatibus fœdissimis, fictitiousque colunt Deastros; partim vanissimis Legis Muhammedanæ commentis parent

& mendaciis putidissimis, imò omni arte & studio eò labo-
rant, ut verus Christi cultus non modò sufflaminetur, sed
prorsus extinguitur, Africam totam eadem absorpsit ani-
marum pestis, eadem urget calamitas. Per Americanas
Insulas vel Christianorum malorum turpis licentia vaga-
tur & avaritia, christianiique Nominis irreconciliabile nu-
trit & auget odium, vel ethnica tum stupiditas tum idola-
tria mentes oppressas tenet & belluinis passim moribus
induit. Utinam vero Europa, in qua Christi nomen lon-
ge lateque personat, illud ipsum, quod Deus nunciari jus-
sit, ubique admittat Evangelium. Utinam essent per
omnes Christianorum nationes & ordines plurimi, qui spi-
ritualis de Christo nato gaudii capaces & tenaces con-
gruam tanto Beneficio exhiberent Deo T.O.M. gratitu-
dinem. Eorum equidem, qui erga homines quoque in-
grati sunt, magnus hodie est numerus; at maior multo,
imo maximus illorum, qui divina pedibus proculcant do-
na, & ineffabilem DEI maleficiis compensare student Boni-
tatem. Ita certe plerorumque comparata est vivendi &
agendi consuetudo, ut hostes potius Christi habendi sint
Evangeliique irrisores, quam fideles ejus asseclæ & disci-
puli. Ipsa, quæ vulgo usitata est, Festum Natalitium ce-
lebrandi ratio supinum planè Mysterii sanctissimi prodit
neglectum & abusum fœdissimum. Sunt qui crepundiis
ludunt, & blandienti oculis festum colunt adparatu, fide
autem, non puerili aut anili, sed virili, cor suum exornare
obliviscuntur. Sunt qui, non tam oculis quam auribus usur-
pandam sifunt Christi nati historiam, fructum autem illius
spiritualem nec sibi serio adplicant, nec aliis recte propo-
nunt

nunt degustandum. Commemoratur Christus cum Paren-
tibus diversorio exclusus, & tamen hodienum ab hospitio
pectoris Eum arcere pergent plurimi. Præsepio illi habi-
tanda deputant, non præcordia ; puerum cogitant, non
DOMINUM & Rectorem Universi. Angelorum lo-
quuntur, non imitantur, ministerium & gaudium ; Pastores
laudant investigantes JESULUM, ipsi autem nec quærere
illum, nec ultro occurrentem admittere dignantur. Non
tantum equidem hiberno hoc tempore terris incubat fri-
gus, quantum plerumque occupat & premit pectora. Sum-
ma igitur contentione animorum opus est, ut ad sensum di-
vini amoris revocentur, & ad vitam in Christo nobis redo-
natam excitentur mortales. Hic pro se quisque allaboret
& pro aliis ; sua curet ita, ut non sit incurius proximi. Au-
geamus preces, acuamus suspiriorum iacula. Adeamus
tantorum Bonorum datorem, & fidem ab illo exposca-
mus eorundem susceptricem. Spiritus S. invocemus auxi-
lium, pietatis suscipiamus exercitia, obstrepentibus terre-
narum rerum curis imperemus silentium & quietem. Re-
viviscat in cordibus nostris spiritualiter tota Christi nobis
nati, nobis dati, historia. Ambrosiam nobis & nectar spi-
ret stabulum, mollitiem nostris inducat mentibus durum,
illud stramentisque horridum Pueruli nostri cubile. Nox
nobis diem afferat, quæ auroræ & diei nobis olim attulit
Auctorem. Suaviter nos permulceat vox angeli Christum
natum nunciantis vere evangelica, dulcedine perfundat
intimos cordis recessus inaudita prius Angelicarum Pha-
langum Symphonia. Nemo esto nostrum, qui non spiritu-
alem ex singulis natalitiae historiæ partibus experiatur vir-

tutem & efficaciam. Supra dapes sumtuosissimas & deliciosa-
sissimas sapient nobis sacratissima, quæ iam tempora æ-
desque personant, Incarnationis salutaris dogmata. Au-
res nobis & corda recreent psalmi, hymni & odæ spiritua-
les, quæ iucundissimo hoc maxime tempore nobis præci-
nuntur concentu. Non æera feriat sonus, sed animos, nec
tam vocum nos adficiant modulamina, quam rerum im-
mortalibus laudibus decantandarum lœtissima argumenta.
Talis erat veterum Christianorum in Festa Christi natalitio
celebrando solertia, tale apud illos hyeme media seruebat
studium. Operc præstare studebant ipso, quod eximio
Prudentius fieri iubet carmine*, nostram etiam in lingua
eleganter converso*.*

Te senes, & te iuventus, parvulorum te chorus,
Turba Matrum virginumque, simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Imo quid impedit, quo minus, Davidis sequuti exemplum,
Creaturas quoq; alias in nostri gaudii vocemus societatem,
et cum eodem Prudentio exclamemus:

Fluminum lapsus & undæ, litorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, silva, & aura, nox dies,
Omnibus te concelebrent seculorum seculis.
Agite igitur, ô chari, agite quod vestrarum est partium;
expergiscimini ex torpore, & pie ad suscipiendum Salvato-
rem nostrum, spiritualiter vobis denuo nascentem, æter-
na-

*Hymno X. Cathemer. ** in Hymno nimirum egregio ger-
manico, Den des Vaters Sinn gehohren,

naque dona offerentem, diligenter vos comparete. Abi-
cite pueriles mundi delectationes, aversamini fallaces ocu-
lorum & sensuum illecebras, pellite jocos inanes, fugite
ludos carnales, & unicam vobis voluptatem ex Christo
nato quærите.

Perpendite Mysterii, quod iam prædicatur, dignita-
tem & excellentiam, contemplamini cœlestis beneficij
amplitudinem & ubertatem, meditamini genuinas illius
perfruendi regulas. Considerate mecum clausulæ loco
memorabile Leonis M. quod de hoc Mysterio scriptum
reliquit, elogium. Excedit quidem, inquit, † multumque
supereminet humani eloquii facultatem divini operis magni-
tudo, & inde oritur difficultas, unde est ratio non tacendi.
*Quia in Christo Iesu Filio Dei non solum ad divinam essen-
tiam, sed etiam ad humanam spectat naturam, quod dictum
est per Prophetam generationem eius quis enarrabit? Ultram-
que enim substantiam in unam cœvenisse personam, nisi fides
credat, sermo non explicat.* Et ideo nunquam materia deficit
laudis, quia nunquam sufficit copia laudatoris. Gaudeamus igit-
tur quod ad eloquendum tanta misericordia sacramentum im-
pares sumus: & cum salutis nostræ altitudinem promere non
valeamus, sentiamus nobis bonum esse, quod vincimur. Ne-
mo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui
intelligit, in rebus divinis etiam si multum proficiat, semper sibi
superesse, quod querat. Nam qui se ad id, quo tendit, perve-
niſe præsumit, non quæſita reperit, sed in inquisitione deficit.

Ne

† Serm. IX, de Nativit. Dom.



Ne autem infirmitatis nostra perturbemur angustiis, Evangelica nos & Prophetica adiuvant voces, quibus ita accendimur, & docemur, ut nos nativitatem Domini, qua Verbum Caro factum est, non tam præteritam reecolere, quam præsentem videamur inspicere. Quod enim Pastoribus pro gregum suorum custodia vigilantibus nuntiavit Angelus, etiam nostrum implevit auditum; & ideo Dominicis ovibus (pastores ecclesiastici) præsumus, quia verba divinitus edita cordis aure servamus: tanquam & in hodierna festivitate dicatur, ECCE EVANGELIZO VOBIS GAVDIVM MAGNUM, QVOD ERIT OMNI POPVLO, QVIA NATVS EST VOBIS HODIE SALVATOR, QVI EST CHRISTVS DOMINVS, IN CIVITATE DAVID.

P.P. Halæ Magd, A. C. MDCCXIX.

Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7

PRO
 ALMAE E
NICOLA
NYMVS GV
 POTENTISSIM
 CONSILIARIUS INTI
 PROFESS
VNA CVM P
 RE
FR
NATIVIT
 MI
 Digne
CIVES A
 invitati
 HALA
 TYPIS IOANNIS

